

/ Illustrissime Domine. Accepi litteras Reverendiss. Dominationis Vestrae, et miratus sum, cur tantas mihi gratias agat, cum parum omnino sit, quod ego praestiti. Fortasse respexit non factum, sed voluntatem meam, quae optime affecta est erga istam nationem, 5 quae sola inter orientales retinet veram fidem, et quasi lux quaedam fulget in medio tenebrarum. Quamvis autem negotia Maronitarum proprie spectent ad Illustrissimum Cardinalem Protectorem, et nos non simus soliti ingredi in messem alienam; tamen ex consensu Domini protectoris, et adiuvi aliquando eiusmodi negocia apud Sanctam 10 Apostolicam Sedem, et deinceps libenter iuvabo. Quod autem Ecclesia ista persecutiones patiatur ab infidelibus, mirum esse non debet, cum ita semper actum sit cum ecclesia Dei, et à Christo Domino multis in locis praedicatum: vult enim Deus, ut ecclesia sua semper exerceatur ad patientiam, et fides nostra probetur, sicut 15 aurum in fornace, et per multas tribulationes intremus in regnum Dei. Cupio Dominationem Vestram Reverendissimam semper bene valere, et mei memorem esse in sanctis precibus suis. Datum Romae die 15 Octobris 1611.

Ill^{mo} et R^{mo} D^{no} Petro patriarchae Antiocheno Maronitarum.

20 ----- Inscriptio est:

Robertus Card^{lis} Bellarminus, tit. S^{tae} Mariae in Via, Ill^{mo} et R^{mo} Domino Petro Patriarchae Antiochiae Maronitarum salutem in Domino sempiternam.